Vindiciæ Gratiæ

SACRAMENTALIS,

DUOBUS

Tractatulis comprehensæ,

1. *De Efficacia Sacramentorum in genere.*
2. *De Efficacia Baptismi quantum ad Parvulos.*

CANTAB. BIBLIOTHECA

Quibus præfigitur

Epistola Reverendissimi Patris & Præsulis dignissimi

JOANNIS DAVENANTII

nuper Episcopi Sarisburiensis

Argumenti non dissimilis.

Singula hæc operâ & Studio

T. B. *S.Th.B.* revisa & publicata.

Εὐαγγέλιον δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν. *Rom.* 1. 16. ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ ἐνεργὴς. *Heb.* 4. 12. Διὰ τοῦ βαπτίσματος συνταφέντες αὐτῷ, *i. e.* Christo, *Rom.* 6. 4. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ; 1 *Cor.* 10. 16.

LONDINI,

Typis GUIL. DU-GARD in Artibus Mri, Scholæ Mercatorum Scissorum Moderatoris in vico vulgò vocat. Suffolk-Lane.

An. Dom. 1650.

BODLEIANA
BIBLIOTHECA

Lectori Benevolo.

MIserandam, tum reipublicæ à bellicis tumultibus, tum Ecclesiæ à doctrinæ corruptelis, faciem, cum, qui non videt, à cæcitate, qui non apponit ad animum, à stupiditate, quis absolvat? Utrobique concussæ columnæ, & dimota loco fundamenta ruinam minitantur. Ego sanè, quamvis *contritione populi mei contrar, atratus incedam, stupore corripiar*, de Ecclesia tamen, tum doctrinæ puritate, tum morum probitate olim florentissimâ, non jam

cuniculis, & insidiis tantùm impetitâ, sed aperto Marte, & γυμνῇ, quod aiunt, κεφαλῇ oppugnatâ (ut Theologum decet) solicitus, discrucior animi. Quis temperet à lacrymis dum intueatur, non familiarum antiquæ nobilitatis subversionem, sed animarum pretioso Christi sanguine redemtarum interitus? Quis non lugeat terminos, non proximi à Patribus constitutos, sed veritatis à Christo ipso ordinatos, dimotos loco? Quem non exaniment maledicta, blasphemiæ, quibus non terrestres solùm Dii impetuntur, sed Deorum Deus? *Propter hoc est languidum cor nostrum, propter hoc obtenebrati sunt oculi nostri.* An non est quod exclamem cum Propheta, *Nihil ad vos ô viatores omnes? Intuemini, & videte an sit dolor par dolori meo, qui factus est mihi,* &c. Veritas Dei mendaciis obfuscata, Unitas Ecclesiæ schismatis divulsa; probitas morum vi-

tiis

tiis exstincta; cultus Dei neglectus; Ministri, à Deo per Ecclesiam emissi, in contemtu; Pseudo-prophetæ, & currentes sponte, in honore; & hæc omnia, post solemne fœdus emissum, quem non commoveant ut prodigii indignitate terrefactus, vociferetur cum Propheta, *Quomodo effecta est meretrix urbs fidelis?* Stupendum planè est Scripturas θεοπνεύστους, non autoritati Ecclesiæ postponi, quod Papistæ solent, sed in dubium vocari, & negari; quod Turcæ: Doctrinam legis, velut Christianis indignam, rejici; Doctrinam Evangelii pro fabula haberi, in lasciviam converti: Sacramenta novi fœderis conculcari; Infantes, quos ad se vocat Christus, Baptismo arceri: Cœnam Domini, communionis nostræ cum Christo ἀῤῥαβῶνα, vel negligi, vel prophanari: Antiquarum hæreseon colluviem, quasi reseratis Acherontis claustris, sub prætextu novæ lucis, aut veritatis Evan-

gelicæ venditari: Idque ab iis, qui ad errorum, ac impietatum omnium reformationem Juramento sunt obstricti. Deus bone! *An opobalsami nihil est in Gilhade*, quod hisce vulneribus curandis applicetur? An nullus ibi Æsculapius, qui medicas apponat manus? *O Deus exercituum revertere jam, intuere de cœlis, & respice, & visita vitem hanc, & furculum quem plantaverat dextera tua, idque propter filium quem fortificâsti tibi*: Hisce tantis malis, remedium aliquod salutare, quibus parare in animo est, felicius non proceedent, quàm si, cum Elisæo Jerichuntis aquas curaturo Paraphidem salis in errorum scaturiginem conjiciant. Hoc tibi (*Lector benevole*) adversùs Sacramentorum pollutionem in tractatu isthoc habes præstitum. Cogitanti enim mihi sæpenumero, & in animo revolventi, qui fons, tum pollutorum, tum contemtorum Sacramentorum dicendus esset, subit

animum

animum conjectura, totius hujus mali originem, errori de eorundem efficacia asscribendam. Quidam enim, dum in nimium honorem evehunt, & cum pontificiis *ex opere operato*, hoc est, vi suâ, sine ullo interno motu non administrantis tantùm, sed & suscipientis, gratiam conferre opinantur, illotis (quòd dici solet) manibus, sacris se immiscent, satìs sibi cautum arbitrantes, si modò horum fiant participes. Ità apud Augustinum. De Civ. Dei. lib. 21. cap. 25. Quidam in eâ fuisse sententia leguntur, eos, qui Christi baptismate abluti, & corporis ejus, & sanguinis participes facti sunt, quomodolibet vixerint, in quacunque hæresi, vel impietate fuerint, ab æternis tamen ignibus liberandos. Ex hoc errore est, quòd apud nos plurimi, tum excludi se his mysteriis ægrè ferant, tum auxiliatrices ad præparationem quamvis offerri indignentur, qui si ferìò secum in animo

mo peusitarent, Sacramenta (prout Evangelium) minimè prodesse, nisi misceantur fide, imò indignè usurpantes reatum Christi crucifixi, & damnationem sibi attrahere, dubitari non potest quin in seipsis examinandis essent magis diligentes, in supperlis aliunde quærendis magis solertes. Alii verò dum nimium Sacramentis detrahunt*, Eorum participationem susque deque habent, cùm nihil utilitatis exspectent ex usu, nihil damni ex neglectu metuant. Ità olim apud Epiphanium Archontici, τὴν τῶν μυστηρίων μετοχὴν, τὴν ἀγαθότητα ἀθετοῦσιν Quorum discipuli, Theodoreto *Ascaryta* dicti Valentinianorum fex, ὅτε βαπτίζουσι τοὺς προσιέντας, οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς οὐ βαπτίσματα τὸ μυστήριον. Apud Theodoretum, ex Ignatii Epistola ad Smyrnenses,

de

* Detrahunt autem, qui volunt ea tantùm esse, vel notas Christianorum, vel symbola mutuæ charitatis, vel testimonia animi erga Deum grati, vel allegoricas commemorationes, quibus, tanquam pictoris, ob oculos ponatur Christiana mortificatio, vivificatio, ac spiritualis alimonia, vel qui ea duntaxat instituta volunt ad excitandam fidem per modum objecti repræsentativi, vel qui fatentur quidem esse symbola gratiæ, sed duntaxat ipsa & extra Sacramenta collatæ, non [illegible] gratiæ præsentis; quæ in legitimo usu Sacramenti exhibentur. *Vers. de Sacr. offic.*

de quibusdam legitur, quòd εὐχαριστίαι, καὶ προσφορὰς ἐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογῶν τὴν εὐχαριστίαν σῶρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, &c. Ità jam Socinianorum, & Anabaptistarum Antiquorum hæreticorum progenies nequam, dum in eodem versantur dogmate, iisdem etiam incedunt vestigiis. Illi non ex opinione ullius eorum necessitatis, sed scandali solummodo vitandi gratiâ Sacramenta tantùm non exterminant ex Ecclesia. Isti, fidelium infantes sacro fonte arcent, admittunt adultos, idque professionis tantùm faciendæ caussâ non confirmandæ fidei. Hæc lues jam nostras invasit Ecclesias, pluriúmque mentes fascinavit; Quibus medendis, potentius, præsentius remedium non potest adhiberi, quàm si de Sacramentorum efficacia ritè edoceantur; Nemo enim, sibi, suis, eripi media ista facilè patietur, in quibus Deum efficacem futurum, ad suî, suorum salutem, persuasum habeat.

habeat. Si hoc penitiùs animis populi insideret, Baptismum *Lavacrum regenerationis*, sacram coenam *corporis, & sanguinis Christi vocatam* à Spiritu sancto vocari, ac proinde esse; si maturiùs cogitetur, eos qui nolunt se suósque baptizari, rejicere adversùs se consilium Dei, & foederis rupti esse reos, non ità uberem messem ex seductionibus Anabaptistæ carperent. Quæstionem de Sacramentorum efficacia (non naturâ suâ, sed propter partium præjudicia arduam) exhibet tibi (*Benevole Lector*) iste tractatus. In quo reperies, sententiam veram Thesibus explicatam, Argumentis confirmatam, ab objectionibus vindicatam, si non pro merito causæ, pro viribus tamen respondentis. Adversus Pontificiorum *opus operatum*, & absolutam Sacramentorum ad salutem necessitatem, satis diu, satis feliciter à pluribus est disputatum; in qua quæstione habemus adversarios,

rios, licèt ab antiquis scholasticorum phrasibus non abhorrentes; tamen easdem ità interpretatione mollientes, ut si verè senserint ut loquuntur, manebit tantùm indigna Christianis de vocibus concertatio. Errores detrahentium Sacramentorum efficaciæ ab aliquot multis sunt exagitati. Iste tractatus non est tam falsitatis oppugnator, quàm [illegible] veritatis. Nec tam curæ fuit autori aliena subruere, quàm nostra confirmare. In quo quicquid præstitit, ut saluti tuæ, ædificationi Ecclesiæ, gloriæ Dei cedat, vovet, qui imprimendum censuit

Tertio Calendarum,
Jan. 1648.

Jacobus Cranfordus.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

NTibi, quisquis es qui in hunc libellum fortè incideris clarissimi illius & celeberrimi Doctoris Davenantii Epistolam apprimè utilem, brevem satis, sed & doctam, & autore dignam. De Autore ipso non est necesse ut ego aliquid addam. Laudant eum in portis opera ejus, opera non minùs perspicuitatem ingenii, quàm profunditatem judicii redolentia. De hac ipsa Epistola, si, dum tibi exponam, & quomodo in manus meas devenerit, & quâ de causâ typis mandârim, auscultaveris, magnam apud me inibis gratiam.

Annus est jam decimus sextus, & quod excurrit, ex quo ad exercitia, quæ in scholis nostris pro more Academiæ habenda sunt, siquis ad gradum aliquem in Theologia promoveri velit,

velit, memetipsum post longam intermissionem de novo accinxeram. Quæstiones nonnullas doctissimo Moderatori proposui (ea tum temporis lex Scholæ fuit) ut ipse digito monstraret suo quibus insudandum vellet. De Scripturarum tum Puritate, tum Autoritate: De Sacramentorum, tum numero, tum efficaciâ: Nam ut (quod verum est fatear) dum ruro meo Pastoris functus sum officio, illud mihi visus sum animadvertere, nobis non parùm negotii facessere hinc Atheorum colluviem, illinc Papistarum prosapiam. Atheï Scripturas penitùs evertere conantur, & puritatem earum sùsque déque fundere, subinde ranarum instar coaxantes, Multa in istis esse sibi invicem repugnantia, & sese prorsus subvertentia. Papistæ Scripturas quidem agnoscunt sacro-sanctas, at totam illarum autoritatem ab Ecclesia pendere clamitant; Contra illos animus erat Thesin hanc proponere & defensitare, In sacra Scriptura quæ videntur non esse revera repugnantia. Contra hos, Autoritatem Scripturæ non pendere ab Ecclesia. Atheï Sacramentorum usum penitùs è medio tollere se posse credunt, si vim eorum & efficaciam queant confodere; Pontificii qui Sacramentis divinam inesse virtutem facilè concedunt, eundem tamen effectum cum Atheïs (non dico, sperant, sed) assequuntur, dum vim & veritatem ve-

rùs Christi ordinationibus peculiarem, aliis cerebrorum suorum figmentis faciant communem. Utrisque occurrendum censui; Quid multa? Moderator Scholæ, quo ductus argumento prorsus mihi incognitum, hasce de Sacramentis (quas hic apposui) mihi pro gradu in scholis discutiendas designavit. Quas dum paro, dum pro viribus exorno, sæpe ut fit, accidit ut doctissimo Moderatori mentionem facerem, de Argumento quod ab instantia Infantulorum (quibus in Baptismo gratiam Regenerationis conferri credimus) ad confirmandam (quam Arminiani statuunt) sanctiorum ἀνοσιολογίαν, duci solet. Ab ipso responsum est, Nihil esse ad rem instantiam parvulorum, nec indè posse probari conclusionem. Quod cum primo auditu mihi visum est dictum gratis; Aliisque illum avocarent negotia, nè posset in longum sermones producere; En tibi (inquit) Epistolam, quam de hac ipsa quæstione scriptam ab Erudito, & Reverendo Sarisburiensi Episcopo nuper acceperim. Libenter, avidèque ubi legissem, Quid (inquam cum animo meo) si & transcribam priusquam reddidero? Et posse & fieri placuit, convocatis ad hanc rem aliorum calamis. Atque ità in manus meas quomodo devenerit, explicatum est.

Typis cur mandarim, si placet addam. Dixi fateor me exspectâsse ut ab aliis quibus uberior

esset

esset edendi facultas fieret. Alia autoris opera (quibus jam gaudet Ecclesia) publicata vidi. Hanc quam exspectavi Epistolam, nondum video. Tandem fato functus est Doctor venerabilis Samuel Wardus, *qui* Davenantio *in Professoris Cathedra successit. Atque ità tunc temporis cùm ego disputarem, Scholæ Theologicæ præfuit, & Disputationis Moderator exstitit. Inter ipsius opera, quæ (si Deus dederit) ad prelum destinata esse audio, credebam sanè & hanc ad ipsam Epistolam annumerandam. At cùm nihil de ipsa quærendo possem in audire; Nè prorsus ad blattas tineásque κειμήλιον tam pretiosum relegaretur, suasu jussúque Reverendissimi Patris Episcopi jam-nunc Armachani, Primatis Ecclesiæ Hibernicæ (quem nobis ex nefanda illa & meritò Stygiis umbris devovenda Hibernicorum strage, tanquam* titionem ex igne ereptum, *in magnum Ecclesiæ, & totius literariæ Reipublicæ commodum Deus reservavit) hujus inquam suasu de ipsius evulgatione seriò tandem cogitavi. Rogavi ut in fine Dissertationum quarundum ejusdem Patris & Professoris (quas tum edendas curavit) per modum Appendicis asscriberetur hæc Epistola. Illi non arridet, quod rogaveram. Sed placuit magìs ut ipse evulgarem; Eadémque operâ, ut huic Epistolæ Davenantii, Thesin hanc meam*

de

de efficacia Sacramentorum, unà cum ventilatione ejus Scholastica, necnon & Determinationem Doctoris, quam ex libello Determinationum quarundam ejusdem Professoris transscribendam dederat Armachanus, ut hæc (inquam) propter similitudinem Argumenti, Epistolæ Davenantii potiùs appenderem.

Quod eo facilius persuasum est ut facerem, quia viderim nos in hæc tempora incidisse, in quibus zelus Christianorum, præsertim quantum ad Sacramenta multùm deferbuit. Sunt qui Infantes prorsus abigunt: Sunt & qui adultos, nisi si quos fortè ex Ethnicis, Judæis, Turcis ad fidem Christianam converterimus: Nec desunt qui baptizatos, qui fideles, imò & eos quos nec insciti a probibet, nec vitæ ante-actæ temeritas, nisi novo quodam, & seculis prioribus inaudito more in Congregationem nescio quam solemniter aggregentur: Plurima pars populi, potiùs quàm novitatem istam velint admittere, in æternum Sacramentorum usu se fraudari patiuntur: Horum omnium, ni fallor, tum opinio, tum praxis in hoc tandem de vi & virtute Sacramentorum dogmate fundatur; Nullam eorundem esse aliam nisi in repræsentando efficaciam: Nullam ex ipsis expectari gratiam: Quin meras esse fabulas (verba sunt Smalcii) si quis dicat, aliquam ineſſe internam in Baptismo

Smalcius cont. Franz. Disp. 9.

a effi-

efficaciam, aut Sacramenta esse canales per quos Divinitatis virtutes ad nos deriventur. *Unde futurum, ut nec Infantulis Baptismus profit; nec detrimentum aliquod ex carentia Eucharistiæ perpessuros sentiant, tum qui adultos abigunt, tum qui se potius quàm novitati supradictæ subscripserint abigendos sustinent. Hinc autem futurum metuo, in quod olim Poeta de suis, idem de nobis quis dicat,*

Horat. Car. l. 3. Od. 6.

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem. *Quis enim non metuat, nisi quid Deus respiciat, posteros, du Sacramentorum usum negligunt, in meram tandem (ut ità dicam) Religionis barbariem prolapsuros: Præsertim, si (quod nobis nimis metuendum est) dogma illud Anabaptistarum qui Pædobaptismum pro nihilo, pro nudâ asperſione aquæ habent, si dogma, inquam, hoc obtineat. Quis enim non videt plurimos nunc dierum esse, qui, si dum Infantes baptizati non fuissent, nunquam se ad professionem Christianismi accingerent: Id quod revera nimis manifestum est, ex eorum negligentiâ & incuriâ, quantum ad alterum Sacramentum; Cujus cum non minor sit necessitas, quàm Baptismi, nequaquam tamen ad Eucharistiam, & publicam illam) professionem Christi servatoris sui, quæ in Sacramento illo*

ab

ab adultis Christianis fieri solet, centum licèt adducas rationes & argumenta, præparantur. Quantò minùs ad Baptismum sese adduci paterentur isti, annis jam & ætate provectiores?

Multa sunt Argumenta quibus adversùs Dogmatistas hosce pugnari solet: Ex omnibus, nullum est quod magìs valere, vimque habere videatur, quàm quod à beneficio Sacramenti in parvulos redundante solet afferri. Beneficium quod ex Baptismo adipiscuntur parvuli fidelium, antiqui patres volunt esse primam *(sic vocare solent)* gratiam, *quam in ablutione reatùs Originalis dicunt consistere. Quod quidem Argumentum si queat obtinere, non dubitandum est quin maximè omnium apud parentes Christianos sit valiturum; Nisi fortasse si qui sunt, qui morbum illum naturæ parvulis inesse prorsus negaverint. Posito enim quòd Originali reatu implicentur parvuli; posito etiam, quòd in Baptismo applicetur Christi sanguis ad morbi illius medicinam; An verbis opus erit multis, ad persuadendum parentibus, ut quamprimum suos adducant infantulos ad Baptismum? Præsertim cùm nemo eorum nesciat, se, dum soboli darent operam, simul cum natura & semine vitiositatem naturæ propagâsse.*

Argumentum hoc nemo (quod sciam) solidiùs & nervosiùs tractavit, quàm celeberri-

mus hic Professor Theologicus, cujus Thesin unà cum vindicatione ipsius ob oculos hic proponi, typisque mandari voluit Antistes Reverendissimus Archiepiscopus Armachanus. Qui, dum chartas priùs tractatuli tandem præparatas, & in manus Typographi jam datas, etiamnum curo emendandas, Vindicationem hanc (quam olim ab ipsius Doctoris manu acceperat) inter alia κειμήλια repositam, fortè nunc repertam statim ad me misit: Voluitque ut hanc etiam in eundem codicem cum superiore compingerem. Id quod eo lubentiùs feci, quia Divinâ credebam factum esse providentiâ, ut in ipso opportunitatis articulo reperiretur hæc Vindicatio, in qua pleniorem & perfectiorem eorum quæ in priore tractatulo habentur, tum explicationem, tum confirmationem facile est invenire. Atque ità (ni fallor) de efficaciâ Sacramentorum, præsertim Baptismi (de quo ferè tota est controversia) ex ore duorum, trium ve testium (neque enim nisi ejusdem esset judicii clarissimus Armachanus tam diligenter de evulgatione cogitaret) ex ore inquam & suffragiis duorum trium ve testium, nullo non honore & æstimatione dignorum concluſum erit, contra Socinianos, & Anabaptistas omnes, qui de Sacramentis, præsertim de Baptismo parvulis applicato nimis frigidè, nimis contemnè loqui solent. Horum enim trium virorum

rum tanta in Ecclesia nostra estimatio, tantâque reverentia, ut neminem credam esse qui non audito cujuslibet horum nomine statim agnoscat, proculdubio esse aliquid in hoc Argumento, quod majorem desideret trutinationem. Neque enim temere in aliorum verba juraturi, & in banc sententiam ituri essent tres isti celeberrimi non modò Doctores, quin & Scholæ Theologicæ Rectores apud suos, & Professores publici.

Me quod attinet, non ego is sum cujus verba valeant: Tenuitatem, & nihilitatem agnosco meam. Idem revera Argumentum in scriptis nonnullis Anglicanis, quæ de Sacramentis edidêrunt, ante aliquot annos edideram: Idem inquam argumentum, pro captu & modulo meo tractaveram. Verùm cùm multos in diversam ire sententiam, déque Sacramentis aliter quàm ego scripserat sentire viderem; Quamvis (cùm sæpius rem ipsam trutinâssem) non potui à me obtinere ut vel tantillum de conclusione rescinderem: Tamen (non dissiteor quod verum est) suspicari incepi, & dubitare, an tantum ineesset virium in argumentis, quantum credideram. Ideóque apud me statueram, de hoc argumento nolle ulteriùs contendere, nè quid pacem Ecclesiæ turbarem, multósque ad certamen & contentiones provocarem: Satis esse credidi, quòd scripto

dam publicato testimonium veritati dedissem, unde fortasse ansam arreptura esset posteritas in argumentum ulteriùs inquirendi. Atque ità quoties cum Anabaptistis dimicandum fuit, argumentum illud ab officio parentum exornandum curavi; utpote quòd non parum virium in hoc inesse putabam, ad excitandam & instimulandam (si qua adhuc superstes esset) scintillam conscientiæ. Argumentum illud sic mihi texendum censui.

Quicquid injungitur parentibus in testimonium fidei faciendum, illud nullo modo est negligendum; At Parentibus injungitur, ut in testimonium fidei parvulos suos sistant Deo dedicandos: *Quocirca etsi nullus indè ad sobolem fructus rediturus esset, nequaquam tamen negligendum esset. De Propositione nullus est dubitandi locus: Assumtionis veritatem hinc concludendam judicavi.* Quod Abrahamo (*qui Pater fidelium*) injungitur faciendum, idipsum & filiis ejus, *i. e.* fidelibus omnibus injunctum & præceptum intelligimus: Abrahamo autem dictum est. *Gen.* 17. Hoc est fœdus meum——Ero tibi Deus & semini tuo——Tu autem idcirco circumcides masculum quemlibet. *En conjuncta duo simul & conjugata, quæ nemini fas est separare, sc. Beneficium Dei, & officium hominis: Beneficium*

neficium Dei promissum, Ero tibi Deus—— q. d. Quicquid fas est, & jus à Deo postulare, tam ad vitæ præsentis sustentationem, quàm ad vitæ futuræ exspectationem; hoc totum me tibi præstiturum polliceor: Tu ergò circumcides masculum—En promissionem conditionatam, En tibi officium. q. d. Hac lege, & hac conditione me tibi tuísque sisto Deum; ut, si credas cupiásque tibi præstandum quod polliceor, fidem testeris tuam circumcidendo masculos. Hunc si verborum sensum agnoscamus (nec video quomodo quis posset denegare) quis non videt indè concludendum, Abrahamum, nisi circumcidisset masculos, non potuisse fidei suæ testimonium dare. Idem dicendum de posteris Abrahami: Quilibet eorum usque in mille generationes, simul atque masculâ prole donatus erat, tenebatur, in testimonium fidei suæ, circumcidere: Quod & factum fuisse legimus in scriptis Rabbinorum.

Age ergò, Ubi divinâ justitiâ factum est, ut Judeâ Natione rejectâ, Gentium populi in locum eorum insererentur, participes facti pinguedinis Oleæ (pinguedinem intelligo omnes illas prærogativas, omniáque illa beneficia quæ ex tenore fœderis Judæi olim possiderunt) annon eodem momento facti itidem sunt ejusdem officii (ut ità dicam) rei? annon & ipsis hoc ipso facto incumbebat necessitas, ut eodem

modo fidem in promissione illa testarentur? Quid enim? An credimus beneficium fœderis illis redundaturum qui officii prorsus sunt immemores? An exspectandum ut Deus se illis Deum futurum spondeat, qui ex adverso non respondeant se illum pro Deo accepturos; Idémque testaturos eodem prorsus modo quo pater ipsorum Abrahamus testari tenebatur? Quid ergò inquies: An Christianis igiturincumbit officium circumcidendi masculos? Non hoc dico: At illud non negandum, Nisi Christus ipse novum Sacramentũ instituisset, nisi aliã fidei testandæ Cerimoniã commendâsset, nos omnes in hunc usque diem ad circumcidendum parvulos teneri & obligari.

Verùm cùm aliud Sacramentum in locum Circumcisionis substituit Christus: An dubitandum est quin ex mandato illo priore ad baptizandum parvulos, idque in eundem finem, i. e. in testimonium fidei obligemur? Similitudine istâ rem totam manifestiorem dabo: Ex mandato quarto tenebantur olim Judæi ad sanctificandum diem illum septimum, quem Deus ab initio indigitaverat: Quisquámne dubitat, quin & nos qui in peculium Dei cooptati sumus, eundem teneremur sanctificâsse diem, nisi Christus ipse alium in locum prioris substituisset? Quisquámne dubitat quia ex virtute prioris mandati nos etiam diem illum quem Christus indigavit pro Sabbato colere & sanctificare tenea-

teneamur? Nempe quod morale est in mandato illo in hunc usque diem durat [Diem unum in Hebdomade pro Sabbato colendum] utcunque quod Cerimoniale erat, [Putà hunc vel illum septimum septimanæ diem colere] exolevit. Idem & in hoc negotio dicendum mihi videtur, Quod morale est, durat, viz. Fidem profitendam ex dedicatione parvulorum, Quod Cerimoniale fuit, putà, quo ritu & quali fiat dedicatio, an circumcidendo præputium, an abluendo carnem; hoc inquam alterationi subjacebat. Quocirca sicut de Sabbato sanctificando, sic de professione fidei facienda dicerem: nunquam non teneri tam Christianum, quàm Judæum ad partem moralem officii, utcunque de Cerimoniis & Circumstantialibus statuatur. Addo & hoc: An ferendus esset, si quis dicat, Nihil lego præceptum à Christo de observatione hujus diei, ideóque non observabo; præceptum quartum, non hunc, sed alium septimanæ diem respicit, ideóque ad observationem hujus nemo tenetur? Nec mihi videtur tolerandus, si quis arguat, Nihil lego præceptum de testificando fidem meam in illa promissione per hujusmodi Cerimoniam, ideóque non faciam. Quid enim? Tempus non adeò longum esse credimus, cùm de novo implantandi sunt rami defracti. Rom. 11. Ubi illud tempus advenerit, Credine fas est nolle ipsos in pristinam

ſtinam illam promiſſionem conjicere oculos; aut velle ad promiſſionem reſpicere officium illud Abrahami prorſus negligentes? An potius, quod veriſimilius eſt, velle ipſos ad utrumque reſpicere: ad promiſſionem nempe quò fidem ſtabiliant ſuam: ad præceptum illud, quò officium agnoſcant ſuum, & revera faciant; Quod cùm per Circumciſionem fieri fas non ſit, utpote quæ prorſus antiquata, proculdubio per Baptiſmum fieri diligenter curabunt: Idque virtute illius præcepti, cujus ſubſtantia & pars moralis etiammum manet, licèt Cerimonia, & pars Circumſtantialis ſit abrogata. Quod eò magis eſt veriſimile, quia Petrus Apoſtolus auditores ſuos hortatus eſt ad Baptiſmi perceptionem eo Argumento, quòd promiſſio ad ipſos & eorum poſteros pertineret; Promiſſionem proculdubio intelligens illam Abrahamo factam: Ero tibi Deus——q.d. *ſi qua peccata commiſſa fuerint, ad me ſi revertamini ſenſetis miſericordem*——Baptizetur ergò *(inquit Apoſtolus)* unuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum: *Quæ verba quid aliud ſibi volunt, quam ſi dixiſſet, Si credatis promiſſionem hanc ad vos pertinere, teſtamini fidem hanc veſtram, voſmetipſos ſiſtendo baptizandos? Ex quibus etiam, mihi videtur rectè concludi poſſe, Sicut ipſos oportet baptizari, quò fidem in illa promiſſione teſtentur*

ſuam

ſuam quantùm ad ſe-ipſos : Ità & ſuos oportet ad Baptiſmum adducere, quò fidem teſtentur ſuam, quantùm ad poſteros.

Unum illud reſtat probandum, Chriſtum in Circumciſionis locum ſubſtituiſſe Baptiſmum : De quo ſiquis dubitat, vellem apud ſe diligenter perpendat vim illam conſequentiæ in verbis Petri, Promiſſio pertinet ad vos, baptizetur ergò unuſquiſque veſtrûm —— *Deinde conſulat totam Theologorum ſcholam : tum eorum, qui contra Anabaptiſtas diſputârunt, tum qui in textum Apoſtoli Col. 2. 11, 12. commentarios ediderunt. Qui omnes niſi in hoc unum conſpirent, niſi in hanc ſummam communibus quaſi calculis colligentur ; Scopum & intentionem Apoſtoli eſſe, ut probet, Ideo Coloſſenſibus non opus eſſe Circumciſione, eo quòd ex Baptiſmo adepti ſint* τὴν ἀπέκδυσιν τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *quam olim ex Circumciſione exſpectabant : Niſi inquam in hoc conſentiant, cadat cauſſa, vincam adverſarii : At ſi ità res ſe habeat, agnoſcat, quod proculdubio agnoſcendum eſt, parentem Chriſtianum quemlibet ex præcepto illo, Gen. 17. teneri ad circumcidendum parvulos ſuos Circumciſione Chriſti, i. e. ad baptizandum eos : Quid enim impedit quo minùs Baptiſmum ſic paraphraſticè à Paulo dictum intelligamus? Ideóque dici Circumciſionem Chriſti (prout*

nonnulli

nonnulli volunt) eo quòd ipse hunc in illius locum substitutum voluit. Vid. Aretium in Col. 2. & Problem. & Confessionem Belgicam. Artic. 34.

Huic argumento [ab officio parentum] cui exornando, quoties cum hisce Dogmatistis congrediendum fuit totus incumbo, huic inquam poterat & aliud addi, à consolatione Parentis petendum. Neque enim nulla debet esse cura fidelium seque suósque in spem promissionis erigendi. Jam verò fundamentum consolationis esse hoc, quòd ab ipsis incunabulis soboles nostra sit adoptata in familiam Dei, adeóque in ejus protectionem specialem recepta quis negaret? Hoc autem olim factum fuisse in Circumcisione nemo est qui dubitat. Unde rationem duxit Calvinus; Eámque (quantum mihi videtur) optimam, cur per totum peregrinationis in deserto spatium omissa fuerit Circumcisio; nempe in signum maledictionis & rejectionis divinæ. Optimam hanc voco rationem: Neque enim mihi satisfaciunt, qui ab ipsa peregrinationis incertitudine rationes cogunt. Rectè Calvinus colligit, adeò severam fuisse interminationem illam Gen. 17. 14. ut non sit credendum, vel ipsos fideles, qui sub extrema gemenies tyrannide non intermittebant, metu alicujus periculi voluisse obsignationem fœderis, quæ centum vitis pretiosior esset, intermittere;

termittere; vel Mosen ipsum tantam ignaviam voluisse ferre, nisi aliâ inductus fuisset ratione, Dei nempe ipsius monitu. Unde conjecturam facit, non statim ab exitu populi ex Ægypto, sed tantùm ab eo tempore, cùm propter pervicaciam suam retro-acti sunt, factam fuisse intermissionem. Quod etiam ab ipsis verbis Jos. 5. 6. satis confirmat. Non enim dicitur Circumcisos non fuisse, quòd in illa peregrinatione subinde mutandus esset locus: sed quia oportuit effluere quadraginta annos donec consumerentur Apostatæ. Hæc ille: unde non immeritò colligit in signum rejectionis parentum intermissam fuisse Circumcisionem filiorum. Utile enim fuit patres castigari in eorum persona, ac si Deus in posterum eos repudiaret, adeóque nihil ab extraneis se suámque sobolem differre manifestatum cernerent. Huic non multùm absimile mihi videtur, imò prodigiosum quiddam, quòd, Deo sic permittente, tam latè serpserit Anabaptistarum velut Gangræna quædam, praxis & doctrina. Ac si Deus hoc ipso voluit significare, se brevi, nisi evigilemus, repudiaturum Ecclesias hasce nostras, atque ex ore suo Laodiceam nostram evomiturum. Cujus quidem rejectionis futuræ signum metuendum satis, quòd Baptismi usum, quantùm ad parvulos, præcludi nobis patienter nimis, imò socorditer sustinemus. Baptismi (inquam) unde nobis

non

non minùs quàm ex Circumcisione Judæis argumentum consolationis hujus, quòd nos cum parvulis nostris fœderatos agnoscat Deus, sibique consecratos. Deus avertat omen, faciátque precor, ut nauseato istorum dogmate, ex Baptismo parvulorum argumentum consolationis nobis oblatum non respuamus: Multò minùs officium illud fidei nostræ in provisione fœderis profitendæ negligamus.

In quo argumento (inquam) exornando totus incumbo; altero illo à beneficio & effectu Sacramenti prorsus omisso. Verùm cùm non ità pridem me in amicitiam & aurem (quæ sua est humilitas) admisisset Reverendissimus & clarissimus Armachanus; Et fortè apud ipsum mentem aliquando expostuissem meam; statim sensi non displicere ipsi, quod de Sacramenti sensu eram, quod de Efficacia ipsorum scripseram: Utpote qui tum voce, tum scriptis, cum hisce duobus Professoribus (ex quibus ista didiceram) sæpe sua communicâsset consilia: At quod de chartulis meis ad blattas tineásque relegandis statueram, non ità arridere. Quin ipse monuit ut de evulgatione cogitarem: Quòque magis ad hoc negotium instimularet, scripta hæc clarissimi Professoris Domini Doctoris Wardi ex suo penu & supellectile scholastica, quasi supellectilem pretiosam, quâ nuditas nonnunquam istum tegeretur, protegeretur, suppeditavit.

Unicum

Unicum hoc est quod addam. Poteris (amice Lector!) si fortè nescis, ex scripto hoc meo Scholæ apud nos Theologicæ viam & processum observare. Nam postquam Moderator (Professorem intelligo Theologicum) quæstiones proposuit ventilandas: Respondens (precibus priùs apud Deum fusis) Thesin suam ejusque confirmationem legit. Interim Opponens (cujus nonnunquam vices ipse Moderator subit) sedulus observat siquid in confirmatione Thesεως fuerit, cui confutando operam impendat suam. Atque ex his exceptionibus (præfatiunculâ priùs habitâ) Anti-thesin quandam & oppositionem extemporaneam conficit. Deinde Respondens, ne quâ in re sibi, aut caussæ suæ deesse videatur, Opponentis exceptiones quaslibet (non absque salutatione prævia) pro more diluit, & veritatem priùs-positam asstruit. Atque hactenus omnia, Oratorum more & Rhetorum, soluta oratione utrinque peraguntur. Postea ad gladios clypeósque Dialecticos, strictios nempe syllogismos, velut nodos ligneos distinctionum tandem cuneis, si opus sit, findendos, dissolvendos sese conferunt. In hoc campo Martio, seu potiùs Mercuriali, ubi pro statâ temporis portione decertaverint, Moderator velut judex controversiæ, qui subinde sensum interponendo suum, fervida nimis, & ferocia Disputantium ingenia compescuerat, tandem ex officio & pro more

scholæ

ſchole quæſtionem determinare ſolet. Atque ità (Deo prius actis gratiis) dimittuntur Actores, Auditores.

Vale (pie Lector!) & ſiquem ex chartulis biſce fructum collegeris, Deo, qui tres illa primæ magnitudinis aſtra, Eccleſiæ luminaria excitavit, age gratias: Quem etiam orabis, ut quæcunque ipſorum opera adhuc reſtant evulganda, ea omnia tandem in Eccleſiæ theſaurum colligantur. Me autem (quod te iterum iterumque rogatum velim) apud Sycophantas, ſiqui occurrunt, excuſatum dabis. Dic quæſo me quod potui feciſſe; quod habui ad manum præſtitiſſe; meliora voluiſſe. Mea hæc qualiacunque ſunt Deo, Chriſto, Eccleſiæ dedicâſſe. Piis doctiſque omnibus (quorum judicio quicquid eſt meum, omni cum humilitate ſubjectum volo) accepta fore hæc nequaquam dubitare. Vale, inquam, & bene-precare ei, qui

Tuus in Chriſto frater, & conſervus

omnium indigniſſimus

THOMAS BEDFORDUS.

EPISTOLA DAVENANTII.

Salutem in Christo.

NOn flagitas promissum meum, (*Amicissime Warde!*) æquum tamen est, ut otium, quod & rarò datur, & nunc per-optatò mihi datum est, in eo exsolvendo conteram. Meminisse me sæpe affirmâsse, Argumentum illud ab infantibus petitum, quo Arminiani, Pontificii, atque è nostris nonnulli utuntur ad Apostasiam fidelium sive sanctorum demonstrandam, non modò invalidum esse, sed ab hac controversia prorsus alienum. Subjiciam quasdam propositiones, quibus confirmatis, hoc quod asserimus cuivis patebit.

Prima Propositio.

In controversia de Perseverantia, aut Apostasia fidelium sive sanctorum, quæritur de ea fide aut gratia sanctificante, quæ excipi, exerceri, retineri,

tineri, aut exerci possit, non nisi mediante aliu sive operatione aliqua liberi Arbitrii.

Collat. Hagiens. pag. 114.

Patet: Quia in Articulo tertio & quarto Arminiani in eo toti sunt, ut fidem, regenerationem, sive sanctificationem effici in hominibus demonstrent tali via & modo, cuiusi possint resistere: Quo posito, consequenter in quinto Articulo conantur demonstrare tali etiam modo perseverare credentes & sanctos in hac tua fide & justitia, ut eventus perseverandi semper pendeat ex illa conditione, *Si homines ad certamen parati sint, ipsique sibi non desint.* Quod perinde est, ac si dixissent, hanc perseverantiam sive Apostasiam de qua disputatur, pendere ex bono aut malo usu liberi Arbitrii, tum quoad *acquisitionem*, tum quoad *amissionem* fidei & justitiæ. Bertii tractatus de Sanctorum perseverantia & Apostasia clare ostendit, ad eos solos pertinere hanc controversiam, qui ratione & libero Arbitrio utuntur in admittenda, retinenda & executienda fide, justitia sanctitate, seu Gratia regenerante. Indè apud eum hæc

Pag. 1. Axiomata. *Fides & perseverantia non sunt dona penitentia à Prædestinatione, sed Conditiones, moralis hominibus à Deo imperatæ. Dona hæc nec primùm admitti nec postea augeri nisi per voluntatem. Dona Spiritûs dari regeneratis ad luctam. Regeneratos posse agere ex utroque principio. & id genus alia.* Sic igitur colligo: In hac quæstione non quæritur, nisi de illis solummodo, qui per fidem Christo ad tempus adhæserunt, & ad tempus justè sanctéque vixerunt, quique

Pag. 12, &c.

actu

actu voluntario à fide & justitia deficere potuerunt: Hæc non spectant ad infantes, ergò neque Perseverantia neque Apostasia hæc, quæ nunc in quæstionem venit: *Digna præscriptio est*, inquit Tertullianus, *in omni quæstione, ad propositum Interrogationis pertinere debere sensum responsionis.* Tertull. contra Marcion. 4.

Secunda Propositio.

In hac controversia de Amissione fidei, aut gratiæ inhærentis, regenerantis aut sanctificantis, supponitur eos, qui dicuntur amisisse fidem aut defecisse à gratia, accepisse atque habuisse eandem gratiam, quam præsumuntur postmodum excussisse.

Nihil clarius. Nam ridiculè contenditur illud donum amissum aut excussum, aut quovis modo ablatum esse, quod negatur fuisse donatum, aut obtentum in Baptismo. Jam verò Remonstrantes infusos habitus fidei aut charitatis pernegant. Quod constat ex eorum scriptis. Grevinchovius: *Crebris fidei actionibus habitum fidei acquiri quis neget? Sed principium internum fidei à nobis in Evangelio requisitæ esse habitum quendam divinitus infusum, cujus vi atque efficacitate voluntas determinetur, hoc negavi; atque adeò duo quædam apertè negavi: 1m. Actu fidei priorem esse habitum. 2m. Vi habitûs infusi voluntatem physicè determinari ad actum.* Corvinus fatetur, *Actum fidei per gratiam primò in hominibus effici, habitum verò per crebros actus acquisitum agnoscit, infusum planè negat.* Dissertat. de Electione, p. 324. Contra Anatom. Molin. cap. 33. p. 562.

negat. Plura habet in hanc sententiam cap. 44. pag. 663. Sed omnium apertissimè Episcopius. Disp. 29. De Bapt. *Effectus sive Finis Baptismi non est realis aliqua gratiæ collatio, sed sola tantùm divinæ gratiæ & professionis nostræ significatio.* Et Disput. 15. pag. 44. *Infusus fidei habitus esse non potest, hoc enim Scholasticorum novum commentum est.* Cùm igitur constet, Actus fidei, charitatis aut justitiæ non posse competere infantibus, habitus autem infusos aut inhærentes pernegant Arminiani: Quo colore abuti possunt hoc argumento ab infantibus petito ad demonstrandum amissionem fidei vel justitiæ, aut defectionem & Apostasiam ab eadem, quam ipsi in Baptismo infusam fuisse non admittunt? post baptismum ab ullis qui pereunt obtentam fuisse non demonstrant.

Tertia Propositio.

Pontificii non agnoscunt pro fidei dogmate, Habitus fidei aut charitatis, infundi parvulis in Baptismo, neque tanquam de fide docent, effici ullos justos formaliter inhæsione habitualis justitiæ aut sanctitatis.

Hoc si ostendero, manifestum erit neque Papistas posse contra nos afferre exempla baptizatorum, ut indè firmiter concludant, fidem & Regenerantem gratiam cordibus hominum semel inditam totaliter & finaliter postea evanescere; quia non est de fide talem gratiam parvulis infundi. Ab antiquis quibusdam Scholasticis non receptam fuisse illam opinionem

opinionem quæ defendit, *Parvulis in Baptismo dari gratiam infusam, & infusas virtutes*, fatentur Bonaventura, Aquinas & Gerson. Ad modernos quod attinet, *Soto* expressè docet, illos habitus infusos parvulis non esse tam ab antiquo tantáque certitudine cognitos, quàm est fides Catholica. *Estius* ingenuè agnoscit de hac infusione inhærentis justitiæ problematicè disputatum fuisse inter Scholasticos, Magistro propendente in partem negantem. Sed hîc dissimulandum non est, nuperos quosdam Pontificios asserere hanc doctrinam, De Infusione virtutum Theologicarum quoad infantes baptizatos nunc majore authoritate quàm olim fuisse suffultam, *Concilii* sc. *Tridentini*, cui placuit eam simpliciter definiri. Sed bonâ illorum venia dicam Concilium Tridentinum non potuisse facere, ut illud de novo Dogmà fidei evaderet, quod per tot annorum centurias nunquam fuit de fide. Addo Concilium Tridentinum non sic statuisse. Nam ea quæ indè proferuntur pro infusione Theologicarum virtutum, aut habitualis justitiæ clarè referuntur ad eos, qui justificantur mediante usu & actu propriæ voluntatis. Ubi autem de Baptismi effectu generali, tam quoad parvulos, quàm adultos, loquitur, docet solummodo talem gratiam dari, quæ reatum Originalis peccati solvat, & tollat totum id, quod propriam peccati rationem habet. Cæterùm de infusis habitibus fidei charitatis & justitiæ verbum nullum. Non est igitur adhuc definitum nè apud ipsos

Bonav. li. 4. Dist. 4. Aqu. 3. Q. 6. 9. Gers. part. 2. fol. 149. De Nat. Gr. li. 2. ca. 10. In 4m Dist. 4. p. 53.

Sess. 6. c. 7. Sess. 5.

Vide Vasquez. 1. 2. 2ae dis. 86. c. 2.

Soto. in 4. Dist. 6. Art. 3.

quidem Pontificios, *Sive fidei, sive charitatis habitum infundi parvulis in Baptismo*: Illud revera definitum, quòd omnes Infantes Baptizati reddantur aliquo modo accepti & grati Deo, (de quo mox plura) Sed quòd hoc fiat per tales habitus infusos, aut per inhærentem aliquam qualitatem in eorum animis à Deo creatam, adhuc ambigitur.

Quarta Propositio.

Protestantes non concedunt fidem justificantem, aut charitatem Deo unientem, aut gratiam regeneratricem, quæ reparet omnes animæ facultates in ipso Baptismi momento infundi infantibus.

Hoc posito: Amissio horum donorum non evincitur ex eo, quòd quidam baptizati in infantia postquam ad adultam ætatem pervenerint, damnentur propter voluntariam suam impœnitentiam & infidelitatem. Nam fuisse in statu fidelium justificatorum, aut regeneratorum, à receptis habitibus sic dictorum, aut ab actibus horum donorum exercitis nemo mortalium potest pro certo asserere. Sed audiamus reformatos nostros Theologos. Calvinus: *Nihil plus in Pædobaptismo præsentis efficaciæ requirendum est, quàm ut fœdus cum illis à Domino percussum observet & sanciat.* Quod autem attinet ad fidem, aut renovationem illam spiritualem, quæ in creatione nova consistit, aut reparatione omnium facultatum per justitiæ sive sanctitatis inhærentis donationem; Eam docet,

Instit. li. 4. cap. 15. sect. 22.

docet postea consecuturam, quo tempore Deus ipse providerit. Quòd si *aliqui ex infantibus electis (accepto Regenerationis signo) præsenti vitâ antè demigrent quàm adoleverint, eos virtute sui spiritûs nobis incomprehensâ renovat, quomodo expedire solus ipse providet.* In qua sententia Antiquos Scholasticos fuisse ex Gersone colligo: Nam qui Parvulis infusos habitus negabant, concedebant tamen, *Si anima baptizati infantis separetur statim post Baptismum, in ipsa Separatione Deum illi infundere fidem cæterâsque virtutes.* Beza Calvino assti- pulatur: *Vis Spiritûs veterem hominem abolens, non ab ipso Baptismi momento incipit, sed ab eo, quo fides incipit.* Putamus absurdum esse, *Dicere, infantes renovari, ante cogniti & per fidem apprehensi Christi tempus.* Colloq. Mompel. Bucerus agnoscit, *Infantes suo modo in Baptismo fieri divinæ bonitatis participes*: sed fieri fidei & charitatis participes negat: Utcunque spiritu Dei ad salutem signentur, & quantum ad ipsorum ætatem & conditionem satis est, agantur. Petrus Martyr affirmat, *Infinitos reperiri, qui sacramentum Baptismi apud se diutissimè habuerunt absque fructu, cæterùm postea conversi ad Deum, per id multùm promoverunt.* Nec quenquam scio ex nostris Theologis, qui regenerationem illam, quæ sita est in spiritualium qualitatum creatione, (quam nos Sanctificationem, Pontificii formalem Justificationem indigitant) in ipso momento Baptismi productam definiant. Imò omnes hanc Regene-

Ibid. sect. 21.

Gers. part. 2. p. 146.

Opusc. vol. 3. ad quæst. 11. p. 344.

In 3. ad Roman. p. 175.

rationem sive nativitatem spiritualem ad illud ætatis adultæ tempus referunt, quo in corde baptizati ex *immortali semine* verbi & operatione Spiritûs vera ac viva fides enascitur.

Pag. 186. *Montacutius* noster ex Belgica professione hæc verba transtulit in Appellationem suam, *Credimus veram fidem unicuiq; nostrûm inditam nos regenerare, atq; veluti novos homines efficere, ut quos ad novam vitam vivendam excitet.* Atque ex Gallicana: *Credimus, nos qui Naturâ servi sumus peccati, hac eâdem fide intercedente in novam vitam regenerari.* Cùm igitur nec Arminiani, nec Pontificii, nec Protestantes agnoscunt parvulos in ipsâ Baptismi susceptione fieri participes illorum habitualium donorum, aut spiritualium qualitatum, quæ propriè dicuntur constituere hominem justum & inhærenter sanctum; nemo eorum potest amissionem fidei aut justitiæ, aut sanctorum Apostasiam argumento ab Infantibus sumpto demonstrare. Paucula ex Patribus addamus.

Quinta Propositio.

Patres neq; actualem neq; habitualem fidem aut charitatem parvulis in Baptismo donatam agnoscunt: Conversionem etiam sive novi cordis creationem, quæ propriè Regeneratio dicenda est, non nisi cùm ad ætatem rationis capacem pervenerint, in iis produci docent.

Epist. 23. Augustinus. *Parvulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. In bapti-*

zatis

zatis infantibus præcedit Regenerationis Sacramentum, &, si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in eorum corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore. Et, *Aliud est Sacramentum Baptismi, aliud conversio cordis.*—Pauculis interjectis, *Illud sine isto potest esse in infante — si ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvit.* Ubi duo docet Augustinus; Unum, Regenerationis sacramentum sine cordis conversione consistere in parvulis, qui nondum rationis & liberi Arbitrii compotes sunt. Alterum, Hunc defectum cordis conversi, mutati, seu regenerati non involvere illos reatu, quia non ex voluntate eorum deest, sed ex ætate. Porrò idem Augustinus, *Regenerationem parvulorum solummodo in plenaria remissione Originalis peccati videtur collocare; abolitionem autem illam veteris Adami, & creationem ad imaginem novi quæ novas & spirituales qualitates desiderat, hujus cœptæ regenerationis progressum ac perfectionem* esse docet: neque competere hominibus nisi ratione & libero Arbitrio jam utentibus. *Filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento Spiritualis regenerationis & renovationis evadunt. Illud namq; præcipuè attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamq; remissionem Baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem non continuò commutari, sed spirituales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente*

L.6. Contra Donat. cap. 24. cap. 25.

De Pecc. Merit. & Remiss. l. 2. c. 27.

cente commutare in se, quod carnaliter vetus est, donec totum renovetur. Ex quibus liquet sacramentum regenerationis afferre parvulis *primitias* sive inchoamentum futuræ renovationis, nimirum plenam remissionem & solutionem à reatu veteris Adami, ipsam verò instaurationem novi hominis ad imaginem Christi in justitia & sanctitate constitutam non eodem momento apportare. Ex decimo quinto de Trinitate, *Renovationem Baptismalem uno momento fieri ostendit*: Sed quo sensu? *Remissione scilicet omnium peccatorum.* Ac paullò pòst, Cap. 17. Eleganti comparatione assimulat regenerationem baptismalem infixi teli de corpore evulsioni quatenus in eo peccatum, quasi per indulgentiam, evellitur; ac Regenerationem, quæ postea competit adultis, vulneris ipsius curationi; quod fit, cùm paulatim proficiendo renovantur secundùm imaginem ejus, qui creavit eos. Nazianz. de sancto Lavacro. Nazianzenus hoc discrimen observavit: *Baptismus vitæ cursum ingredientibus est signaculum; iis qui adultiore ætate sunt gratia est, collapsæq; imaginis erectio.* Adversus Pelagianos 1. cap. 8. Hieronymus tantum abest ut agnoscat virtutes infundi parvulis in ipso Baptismi momento, ut nè in adultis quidem id quasi lege ordinariâ fieri concedat. *Si baptismus statim justum faceret, & omni plenum justitiâ nequaquam vtiq; Apostolus neophytum refutaret. Sed Baptismus vetera peccata conscindit, novas virtutes non tribuit.* Quid plura? Si infantes renati & justi fierent per fidem & gratiam infusam, cur Patres, & præ-

sertim

sertim Augustinus, ubique confugiunt ad fidem alienam? Justinus Martyr ait, *Pueros consequi bona, quæ ex Baptismo proveniunt fide illorum qui illos baptismo offerunt.* Et Bernardus. *Dignum est, & ad Dei benignitatem spectat, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratiam prodesse concedat alienam.* Liceat itaque cum Cassandro asserere, *Regenerationem in infantibus longè aliter, quàm in Adultis spectari:* Atque cum Whitakero nostro, *Patres nè somniasse quidem de habituali Papistarum fide, quam illi volunt in Baptismo ex opere operato infusam esse parvulis.* Hinc quivis perspiciat, quàm invalida sit hæc concludendi ratio. Multi ex infantibus baptizatis postea pereunt in infidelitate & impœnitentia; Ergò fides, charitas, reliquæque spirituales qualitates in renatis spiritûs virtute productæ aliquando amittuntur.

Resp. Ad Orthodoxos, Qu. 56.

Epis. 77.

De Bapt. Infant.

Whit. de Sacr. Bapt. qu. 4. cap. 6.

Hactenus in eo potissimùm operam posuimus ut quid non detur Parvulis in Baptismo ostenderemus: Jam, nè efficaciam Baptismi sacrosancti negâsse videamur, quid detur, quid in illo efficiatur conabimur explicare. Quo explicato simul demonstrabimus nihil facere ad probandam Apostasiam sanctorum, aut amissionem Theologicarum virtutum, sive spiritualium donorum, quæ justificatis per fidem, & regeneratis per Spiritum ex incorruptibili semine infunduntur.

Hic

Contra Donatist. l. 4. c. 23.

Hic autem illud Augustini cogor præmittere: *Quid valeat in homine corporaliter adhibita sanctificatio Sacramenti, difficile est dicere.* Et si quis hanc causam difficultatibus omnibus expedire possit; ejus ego me auditorem (quod olim dixit Whitakerus) libentissimè profiterer. Sed interim conabimur aliquid.

Prima Propositio.

Omnes Infantes Baptizati ab Originalis peccati reatu absolvuntur.

Atq; hic est primarius ejus effectus, ex quo etiam pendet illorum, quæ dicitur, Regeneratio, Justificatio, Adoptio, sive ad regnum cœleste acceptatio. *Neminem unquam eorum qui ad Christum accesserunt per baptismum sana fides, & sana doctrina putabit exceptum à gratia Remissionis peccatorum*, inquit Augustinus. Concilium Milevitanum: *Infantes ideo in peccatorum remissionem baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Nequit hic Electorum aut non Electorum discrimen ullum admittitur, quoad hujus effectus participationem. Unde illud in Epistola Synodi Exulum in Sardinia, *Etsi accepto Sacramento reatu peccati Originalis caruit.* Quod etiam *Prosper* agnovit in Responsionibus ad capitula Gallorum. Et in *Concilio Valentino*, hoc firmissimè tenendum definitur.

Aug. de peccat. Merit. & Remiss. li. 1. ca. 23. Con. 2.

Resp. 2. Sentent. 2.

Pontificii, nostríque Theologi huic doctrinæ Patrum suffragantur. Bonaventura, *Parvulus recipiens*

recipiunt rem sacramenti, quæ est remissio culpæ Originalis. Lumbardus, *Sacramentum & rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in Baptismo ab Originali mundantur peccato.* Eadem est nostrorum sententia, uti patet ex *Articulo* 27°. & Administratione Baptismi. Neque aliquid caussæ video cur hunc effectum ad solos Electos arctemus, quod olim fecerunt nonnulli (ut testatur *Lumbardus*) & nunc facere aliquos ex illorum scriptis mihi fit verisimile. Lib. 4. Dist. 4. Lib. 4. Dist. 4.

Scrupulum hunc illis injicit, quòd putant minimè consentaneum, ut ullo modo aut tempore, ordinatus habeatur ad vitam æternam, qui non est prædestinatus ad eandem infallibiliter consequendam. Sed hoc non est adeò magni momenti: Nam certum est, Angelos qui ceciderunt, & Adamum in statu innocentiæ consideratum fuisse quodam modo, & in quodam signo rationis sufficienter ordinatos ad vitam æternam, licèt non fuerint per illam dispositionem, aut in illo signo infallibiliter prædestinati ad eandem capessendam. Stare ergò potest in parvulis temporanea Ordinatio ad vitam per Remissionem Originalis peccati absque beneficio Electionis, quæ ad vitam æternam infallibiliter destinat ac perducit. Huic rei fidem facere potest, quòd è contrà, in ipsis Electis stat quædam ordinatio ad mortem, respectu præsentis conditionis [ut in *Paulo* blasphemo & nondum Christum agnoscente: vel in *Davide* adulterii reo & nondum pœnitente] cùm interim

terim stet firma Electio eorundem æterna ad vitam & beatitudinem cœlestem.

Jam ultimam nostræ propositionis clausulam illustremus. Dixi Remissionem peccati Originalem (quoad Infantes) esse primarium effectum baptismi, reliquáque ex hoc sequi & quasi resultare. Nam

1°. Quod dicuntur Justificati in Baptismo id ex hac Remissione Originalis peccati exoritur. *Parvuli*, inquit Vasquez, *suscipiunt baptismum solùm ut liberentur ab Originali peccato, & ab eo justificentur.* Et Bonaventura notavit, *Parvulos in Baptismo justificari à culpa contractâ, non actâ.* Justificatio igitur Infantis re non differt ab expiatione sive remissione Originalis peccati, cùm in parvulis actualis peccatum non inveniatur, à quo possint justificari. Quod autem quidam Papistæ tuentur Justificationem Infantium stare non possit absque infusa sive inhærente justitia, id indicoguntur tueri, quod statuunt formalem causam justificationis esse semper quiddam inhærens in justificato, quod faciat illum cœlo vel vitâ æternâ dignum. At nos, qui in controversia de justificatione Adultorum hunc papisticum errorem aversamur, non debemus in justificatione Infantium eundem approbare.

In tert. Qu. disp. 154. ca. 1.

In sent. 4. Dist. 4.

2°. Porrò, quòd Infantes dicuntur in Baptismo regenerari, id etiam ità dependet ab hac remissione Originalis peccati, ut vix aut in

vi

vix quidem ab eadem distinguatur. *Renovatio in Baptismo fit remissione omnium peccatorum,* inquit Augustinus. *In Infantibus regeneratio constat tantùm remissione culpæ, & acceptatione ad vitam æternam,* ait *Cassander*. Idem planè dicendum est de Translatione parvulorum ex vetere Adamo, & insitione & incorporatione in novum: Nam hoc etiam connexum est cum Remissione Originalis peccati. Statim enim atque removetur ab Infante reatus, quem contraxit in primo Adamo, censetur ipso facto in prosapia sive familia secundi Adami. Unde Beza rectè hæc duo conjunxit. *Infantibus* (inquit) *baptizatis & ante fidem mortuis Baptismus obsignat insitionem in fœdus, & peccati peccantis remissionem.* Atque Augustinus observavit cum remissione Originalis peccati cohærere semper hanc in familiam Christi translationem. *Antiquo paterno debito non tenetur,* (loquitur de baptizatis Infantibus) *qui hæreditatem patriciæ mutavit.*

Aug. de Trin. 14. 17

Cass. De Bapt. Infant.

Opusc. vol. 3. Quæst. & Resp. Qu. 128. Contra Julian. 6.

3ᵒ. Adhæc illa quæ dicitur *sanctificatio* Parvulorum baptizatorum in hac Originalis peccati ablutione, maximâ ex parte, constituta est. Nam ut immundities eorum, quanta-quanta est, in fœditate Originalis peccati consistit; Sic etiam & purgatio. Et sicut dicuntur polluti respectu habito ad reatum hujus peccati nondum exstinctum: Ità & sancti meritò dici possunt reatu ejusdem jam expiato. Quanquam haud negaverim eosdem esse sanctos sive sanctificatos aliis etiam nominibus: utpote,

pore, *quòd* sacro-sanctæ Trinitati dedicentur: Nam Deo dedicari est quodam modo sanctificari: *quòd* sacro-sancto Christi sanguine in Baptismo aspergantur ad Remissionem peccati inhabitantis obtinendam: *quòd* habeant in se spiritum sanctum incolentem, licèt non per fidem ut Adulti, arcano tamen modo, & nobis incognito. Unde Augustinus: *In baptizatis parvulis, quamvis id nescient habitat Spiritus Sanctus:* Per incolatum autem tam divini & sancti hospitis non potest non hospitium, prout fert ejus conditio, sanctificari. Denique sancti & sanctificati jure appellentur; quamvis fidei, justitiæ sive gratiæ infusæ nec actus nec habitus recipiant, propter Authorem sanctitatis ineffabili modo in illis operantem quicquid à talibus requiritur ut sancti reputentur: Qui autem hoc aut quale sit explicet, qui intelligit. Ego fateor me non intelligere.

De Præd. Dei. lib.

Vide Radam. Controver. part. 3. Contr. 5. Art. 2.

4°. Postremò, *Adoptio* illa sive acceptatio ad Regnum cœleste, quæ promiscuè omnibus Infantibus baptizatis pro præsenti eorum conditione conceditur, in hac Originalis peccati remissione fundatur, aut saltem ex ea consequitur. Nam cùm hæc Adoptio nihil aliud sit quàm Acceptatio ad vitam æternam secundùm præsentem parvuli conditionem; ablato peccati Originalis, quæ tollit unicum obstaculum, quo arcentur infantes ab ingressu cœlum, eâdem operâ ponit sive constituit illos justificatos & idoneos ad participationem hujus hæreditatis cœlestis. Huc facit illud in Epistola Synodi

Synodica Exulum in Sardinia. *In Baptismo dimittitur Infantibus Originalis peccati vinculum, & amissa recipitur Adoptio filiorum.* Communis etiam est Theologorum Sententia, Baptismum auferendo Originalis peccati reatum per virtutem passionis Christi amovere impedimentum, quod arcet Infantes ab ingressu cœli, & eatenus eos facere hæredes regni. Hinc Cajetanus: *Baptismus sufficienter caussat apertionem cœli cuilibet baptizato, dum tollit culpam & pœnam tam personæ quam naturæ.* Et Carthusianus: *Aperire januam regni cœlestis nihil aliud est quam impedimentum, quo toti generi humano prohibebatur ingressus in regnum cœlorum, propter Originale peccatum, auferre.* Deinde hoc addit, *Particulariter hoc fit quantum id istum vel illum per hoc, quod virtus & meritum dominicæ passionis eis in Baptismo applicatur.* Atque hæc est illa Adoptio seu Acceptatio ad regnum cœleste, quam omnibus parvulis baptizatis competere libenter agnoscimus: Quorum cum magna pars rapiatur hinc, ante ætatem rationis & liberi Arbitrii compotem, ausim cum Bucero affirmare, *Nullam omnino hominum ætatem regno cœlorum plures cives dare.*

Vide in Aquin. part. 3. Qu. 69. Art. 7.

Bucer. in Matth. 19.

Jam illud subtexo, quod est præsentis instituti proprium: Cùm prædicta Infantium justificatio, regeneratio, adoptio, sanctificatio ab Originalis solius peccati remissione per Christi sanguinem in Baptismo infantibus applicatum oriatur; cùmque hæc Remissio originalis

peccati maneat rata, in Adultiori ætate & inamissibilis, quamvis non trahat post se illos effectus (Deo ità ordinante) ad ætatem solius peccati Originalis tam limitatos; quis non videt ab Infantium exemplo malè concludi amissionem adeptæ justificationis aut sanctificationis quoad Adultos?

Sed, quò hoc constet manifestiùs, addo aliquot propositiones huic rei magis enodandæ inservientes.

Secunda Propositio.

Justificatio, Regeneratio, Adoptio, quam concedimus competere infantibus baptizatis, non est univocè eadem cum illa justificatione, regeneratione & Adoptione, quam in quæstione de Perseverantia sanctorum nunquam amitti defendimus.

1. Justificatio non est ejusdem rationis. Nam parvulorum justificatio non auditum verbi, non fidem, non actum ullum in apprehendendo ipsam caussam justificationis, aut sibi applicando requirit: sed est merus actus Dei solius apprehendentis parvulos, & caussam justificantem illis applicantis. Rectè Aquinas, *Pueri possunt justificari absq; motu propriæ voluntatis; Quia non habent unde possint converti ad caussam justificantem.* Caussa justificans, se passio Christi applicatur iis per sacramentum Christi. At illi omnes, qui rationis & liberi Arbitrii compotes sunt alio planè modo justificantur; Audiendo Evangelium, credendo Christum

Christum apprehendendo, juxta illud Apostoli, Rom. 3. 25, 26. & Rom. 5. 1. Unde Scholastici ad justificationem puerorum, postquam pervenerint ad usum rationis actualem eorundem ad Deum conversionem requirunt. Qui hoc modo per fidem justificatus, pacem hoc modo apud Deum obtinuit, illum ità justificati statum amittere, ut de facto (nam de merito fatemur) in statum inimici aut damnati incidat, pernegamus. Cùm igitur justificatio Adulti actum præsupponat credentis, justificatio parvuli sit quasi passio mera infantis alterius actum in se admittentis, non possunt esse aut re aut ratione eadem. Si ergò probare possunt (quod nullo modo possunt) hanc justificationem parvulorum, quæ est solummodo ab Originali peccato & alterius rationis à justificatione Adultorum esse amissibilem, nihil tamen ev incerent, quia non disputant ad idem.

Victor. Relect. ult. Aquin. 12ª. Qu. 113. Art. 3. Alvar. summa. de Auxil. pag. 703.

2. Jam secundo in loco, nec quæ dicitur Regeneratio paruli, est ejusdem speciei cum hac nova creatione, sive spirituali renascentiâ adultorum, quam defendimus nunquam totaliter aboleri aut amitti, postquam Spiritûs virtute semel producta fuerit in corde regenerati. Vulgò dicitur, *non recipit idem subjectum plura accidentia ejusdem speciei*: At Infans Christianus qui regeneratus sit in Baptismo aliam regenerationem acquirit, cùm adultus fidem adhibet Evangelio: Ergò aut bis regeneratur, aut regeneratio hæc baptismalis eadem non est cum illa Adultorum, de qua Jacobus,

Jacob. 1, 18. *Voluntariè nos genuit verbo veritatis, ut simus*
1 Pet. 1, 23. *initium aliquod creaturæ ejus.* Et Petrus: *Renati estis, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in*
Eph. 4, 24. *æternum.* Et Paulus: *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Hæc regeneratio, quæ *novæ creaturæ* nomine designatur, quæque imaginem sanctitatis & justitiæ, quam amisimus, infusione spiritualium donorum in credentibus refingit & reparat, illa est, quam spectamus in quæstione de Perseverantia renatorum sive sanctorum. De parvulorum autem regeneratione idem dicerem, quod de fide eorundem
Epist. 23. dixit Augustinus: *Parvulum non regeneratio illa, quæ in Renatorum voluntate consistit, sed ipsius regenerationis sacramentum, regeneratum facit.* Irrito igitur conatu oppugnant perseverantiam sanctorum in semel-obtento statu regenerationis, qui regenerationem parvulorum in sacramento (quæ non est ejusdem rationis) contendunt de facto amitti ab illis omnibus qui cùm ad ætatem capacem rationis pervenerint, pereunt in voluntaria sua infidelitate aut impœnitentiâ. Tales enim non pereunt, quòd amiserint regenerationem sacramentalem parvulis regenerandis idoneam: sed quòd nunquam habuerint regenerationem illam alteram ex semine verbi, & efficaciâ Spiritûs sancti, quæ ad regenerationem Adultorum efficiendam necessaria est.

3. Ultimo in loco, de statu Adoptionis sive Acceptationis

Acceptationis in filios regni idem dicendum eſt, quod de juſtificatione & regeneratione dictum fuit. Nimirum Adoptionem illam, quam omnibus baptizatis infantibus concedimus, non eſſe univocè eandem cum illa, quam, in quæſtione de Perſeverantia ſanctorum, perpetuam & inamiſſibilem eſſe defendimus. Æquivocatione igitur vocabulorum aut falluntur, aut alios fallere conantur, qui ab hac Adoptione parvulorum factâ in Baptiſmo, argumentantur contra illam Adoptionem adultorum factam fide mediante, de qua Joannes: *Quotquot receperunt, dedit iis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus.* Joh. 1. 12. Hanc perſeverare, & in cœlum uſque ſubvehere omnes ſic adoptatos Orthodoxorum ſententia eſt: Et nititur expreſſo verbi divini teſtimonio: *Si filii, hæredes.* Rom. 8. 17. Hi ſunt illi filii, *qui in domo patris ſui manebunt in æternum.* Joh. 8. 35. Quicquid fiat de parvulis in Baptiſmo adoptatis; niſi probent adoptatos per fidem in filios Dei, excidere poſſe & perire, ſententiam noſtram de perſeverantia ſanctorum non modò non labefactant, ſed nè attingunt quidem.

Ut res adhuc clarior evadat: animadvertendum eſt, homines dici poſſe Adoptatos Dei filios multis modis. 1°. *Filii* dicuntur nonnulli quoad æternum, immutabile, & arcanum Dei propoſitum de illis ad cœleſtem hæreditatem perducendis. De hac Adoptione loquitur Apoſtolus Eph. 1. 5. *Prædeſtinavit nos*

in adoptionem filiorum. Et Joannes cùm di-
Joh. 11. 52. cit Christum mortuum *non solùm pro gente Judaïca, sed ut congregaret filios Dei*-- De hac adoptione intelligendus Augustinus quando
De Corr. & Grat. cap. 9. De Fide ad Petrum Diaconum dicit, *Prædestinatos nondum natos Dei filios esse, & perire non posse.* Siquis defendat aliquem ex hisce adoptatis Dei filiis aliquando Apostatam evadere & perire, non ab ullo refellendus sed ab omnibus explodendus est. Nam illi cum Christo procul dubio regnabunt, quos Deus ipse suâ gratuitâ bonitate prædestinavit ad regnum.
Aug. de Corr. & Grat. ca. 7. Si *ex hisce periret aliquis, aut vinceretur, aut falleretur Deus, quorum utrumq; impossibile.* 2. Dicuntur filii Dei, aut ex Deo nati quos in filium suum credentes Deus donat actuali prærogativâ filiorum, hoc est spiritu Adoptionis clamante in cordibus eorum *Abba, Pater*, reparante & refingente eos ad imaginem Dei ac demum eos obsignante in diem redemptionis. Hæc Adoptio est (ut ità loquar) genuina proles illius arcanæ, quæ in lucem jam edita ipso effectu temporali æternam illam adoptionem testificatur. De hac verè Rada: *Licet*
Controv. pat. 3. Cont. 3. Art. 2. *Deus non adoptat per novum actum, adoptat tamen per novum effectum.* Hæc illa est, quam semel obtentam sive receptam nunquam aboleri postea aut abrogari docemus. Docuit idem
Ambr. De Jacob. & vita beata. lib. 1. c. 6. Ambrosius. *Num Deus* (inquit) *pater ipse qui contulit, potest sua dona rescindere, & qui adoptione suscepit, eos à paterni affectûs gratiâ relegare?* Docuit idem *Augustinus*, dum negat *quenquam ex illis qui verè filii sunt promis-*

sioni

sionis unquam perire; dum docet eos, qui à fide susceptâ resiliunt non fuisse in numero filiorum, quandò fuerunt in fide filiorum. Docuit inter Scholasticos ipse Biel, qui de hac Adoptione verba faciens, negat ullum ex illis qui postea pereunt fuisse Dei filium adoptivum. Et hâc ratione confirmat suum sententiam, Quia tales nunquam fuerunt per voluntatem Dei ad cœlestem hæreditatem præ-ordinati. Ad hanc adoptionem neminem unquam pervenire, qui postea peritutus est, concorditer docent Protestantes. Bucerus affirmat eos, qui aliquando à Christo possunt excidere, nunquam spiritum filiorum fuisse natos: Affirmat etiam, Neminem ità credere, ut Dei filius fiat, nisi quem in hoc Deus ab initio elegit. Calvinus asserit, Reprobos nunquam donatos fuisse spiritu Adoptionis. Martyr in eadem sententia est: Ex Electione, inquit, omnis ratio Adoptionis nostræ pendet. Lutherus de his Adoptatis generatim pronunciat; Quòd hæredes Dei sunt pares dignitate & bonore Paulo, & Petro, ac Divis omnibus: Quòd fides, ut certò secum regenerationem ità adoptionem, & hæreditatem adducit. Melanchthon de hisce filiis fatetur, Quòd fiant Electione, non naturâ aut meritis nostris: Paulò pòst, Filii Dei tantùm sunt qui à Deo eliguntur. Chemnitius hanc adoptionem cum infallibili hæreditatis consecutione conjunctam esse ostendit: Maxima, inquit, dignitas seu præ-eminentia est, quam Christus credentibus donat, ut efficiamur & simus filii Dei. Nec titulus est sine re; sed si

Aug. De Corr. & Grat. ca. 9.

Biel in 3. Dist. 19.

Bucer. in Matth. 7.

in Joh. 1. 12

Calv. de ætern. Præd.

Luth. Tom. 5. in cap. 1 Pet.

Disp. Ep. Lad Rom. c. 9.

Harmon. Evang. c. 1. in hæc verba Johannis: Et Deus non

filii; ergò patrem habemus propitium: sumus ergò hæredes Dei, fratres Christi, & ipsius hæreditatis participes, quæ tam non potest nobis deesse & eripi, quàm Christo fratri nostro non potest deesse & eripi, & eâ fiduciâ clamamus: Abba Pater, &c. Quando nostri Theologi perseverantiam & infallibilem salutis consecutionem tuentur quoad Adoptatos, manifestum est eos de hac Adoptione quam descripsimus illud intelligere. 3°. Dicuntur homines *filii Dei* propter externam confœderationem cum Deo, vel aggregationem in visibilem Dei populum. Hoc sensu omnes Israëlitæ, qui generatim fœdus cum Deo ineibant, mediante sigillo Circumcisionis, *filii Dei*, & *filii Regni* appellantur, etiam illi, qui extorres fuerant ab illo regno & ejiciendi in tenebras exteriores: Hoc eodem sensu omnes Christiani sunt confœderatione Dei filii, quamvis maxima pars eorum conversatione sese probent filios diaboli: Ab hac Adoptione externa, & singulares personæ, & integræ nationes possunt deficere, & labi in Apostasiam. Quod patet exemplo eorum, qui à Christiana fide ad perfidiam Mahumetanam defeciverunt. Talem Adoptionem in populum Dei non spectamus, quando de Perseverantia sanctorum Dei filiorum disputamus. 4°. Et postremò dicitur *adoptivus Dei filius* quisquis pro statu præsenti sufficienter dispositus est ad obtinendam hæreditatem cœlestem, quamvis non sit à Deo præ-ordinatus, nec spiritu

Exo. 4. 23.

Matt. 8. 12.

Vide Rada. Cont. 3. p. 3. Cont. 5. Art. 221.

Adoptionis

Adoptionis obsignatus ad futuram ejusdem possessionem. *Adam* in statu Innocentiæ fuit hoc modo filius Dei adoptivus; quia hoc modo secundùm præsentem conditionem sufficienter fuit instructus ad consecutionem vitæ æternæ. Idem dici potest de Angelis non-electis in statu Creationis suæ consideratis. Atque hoc ferè modo omnes Infantes baptizati sunt accepti Deo, vel adoptati; quia *cadit super eos velle divinum, quo vult eos beatificare, si manserint in statu tali, & si non impediantur per consequens peccatum.* Sed hæc (uti vides) limitata est Adoptio, non illa absoluta, æterna, & infallibilis, fundata in Electione, quæ nunquam fit irrita, fatente Aquinate. Neque est illa quasi-imago hujus æternæ Adoptionis, quam Spiritus impressit, & obsignavit in corde credentium. Nihil igitur agunt, qui sententiam nostram de Perseverantia Sanctorum, sive filiorum Dei per fidem regeneratorum, quæ spectat solummodò primum & secundum modum Adoptionis, oppugnant exemplis eorum, qui tertio aut quarto modo adoptati statuuntur, & tamen discedunt à Deo & pacto divino, atque sic pereunt in æternum: Nam talitet Adoptatorum infallibilem salutem nunquam asseruimus. Riel in 1. Dist. 17. Q. 1. Part. 1. Q. 23. Art. 1.

Tertia Propositio.

Parvulorum baptizatorum Justificatio, Regeneratio & Adoptio confert illis statum salutis pro conditione parvulorum.

Nam

Vasq. in 3. Q. 68. disp. 154. c. 1.

Molin. in 1°. 2°. p. 574.

De Fide ad Petrum Diaconum.

Nam voluntas Dei peccatum Originale in remittendis, cõique favore suo complectendis sufficit ad ponendum illos in statu salutis absque præsentanea aliqua gratiæ inhærentis infusione. Unde *Vasquez* ingenuè agnoscit, *Etiamsi hujusmodi habitus virtute Baptismi infundantur parvulis, indubitatam tamen esse, non ideo illis infundi, quia ipsis sit medium ad salutem necessarium.* Concedit etiam nobis Molinæus, *Hominem sine ullo dono inhærente posse Deo esse acceptum, etiam ad vitam æternam.* Hinc est quòd Patres nostríque Theologi, quamvis dissentiant à Papistis, in eo quòd negent justificationem, regenerationem, aut sanctificationem illam, quæ novam creaturam facit infusione donorum spiritualium, competere Infantibus; tamen in hoc omnes consentiunt, quòd parvuli pro sua præsenti conditione justificentur, regenerentur, sanctificentur in Baptismo, ut si moriantur in hoc statu parvulorum, neque de Electione, neque de Salute eorum sit dubitandum. Certè *Augustinus* ubique docet, *Infantulos baptizatos, si continuò è vita migraverint, sine dubio pertinere ad vitam æternam:* Atque hoc ipso quod hinc rapiantur manifestum fieri eos fuisse ex prædestinatis Dei filiis. Generatim de omnibus baptizatis parvulis hanc regulam fixit Fulgentius: *Sacramentum Fidei, quod est sanctum Baptisma, quamdiu rationis eorum ætas capax esse non potest, sufficit iis ad salutem.* Sed satis nota est Antiquorum sententia: Accedamus ad nostros, qui

qui lubenter concedunt statum salutiferum ità transferri Infantibus in Baptismo, ut quotquot moriantur in Infantia ejus beneficio salutem obtineant. Bucerus, *In pueris ætate raptos Christi beneficio salvos fore nihil ambigo.* Paulò pòst, *Si qui priusquam adolescant, hinc migrant, quoniam Christi sunt, etiam apud ipsum beati erunt.* Sic censet Ecclesia nostra Anglicana, *Nequis putet noxiam esse pueris delationem Confirmationis usque dum adoleverint, is certò sciat ex manifesto verbo Dei, pueros, qui in Infantia & post Baptismum ante Confirmationem moriantur, omnia habere quæ sunt ad salutem eorum necessaria & indubiè servari.* Ex hisce cuivis patere potest Infantes per Baptismum poni quidem in statu salutis, sed respectivè tantùm ad illam ætatem & conditionem parvulorum. Qui igitur in adultiore ætate pereunt non impleto Baptismi voto, non amittunt statum salutiferum, quem habuerunt pro conditione infantulorum; sed amittunt statum infantilem, quo mutato, cessat esse sufficiens ad salutem Adulti, quod ex Ordinatione divina sufficiens erat ad salutem parvuli. Pro amissione ergo fidei, justitiæ, aut sanctitatis inhærent s, vel pro voluntaria Sanctorum Apostasia ab Infantibus petère probationem, frivolum planè & ineptum est: Quod adhuc patebit evidentiùs.

Buc. in Matt. 19.

Rubrica Catech.

Quarta Propositio.

Qui in Baptismo pro communi conditione parvulorum

parvulorum verè justificati, regenerati & adoptati fuerunt, pro speciali conditione Adultorum non existunt justificati, regenerati, aut adoptati cùm ad usum rationis pervenerint, nisi pœnitendo, credendo, abrenuntiando, votum Baptismate nuncupatum impleverint.

Nam licèt tam in parvulis, quàm in Adultis justificatio, regeneratio, & Adoptio innuant actus Dei: Tamen hi actus divini quatenus spectant parvulos non requirunt in illis actiones aliquas præcedaneas liberi Arbitrii: At in adultis ex ordinatione divina prærequirunt, neq; ponunt in parvulis spiritualia illa effecta quæ in Adultis si minùs ponantur, illorum justificatio, regeneratio, & Adoptio nullo modo potest consistere. Hoc autem ostensum est in secunda nostra Propositione. Hîc itaque pluribus opus non est.

Illud solummodo inculcandum est, Quòd Adultorum fidem, justificationem, & Adoptionem (Paulino more intellectum) amitti aliquando arguunt, quia justificatio, & Regeneratio parvulorum propria ex pacti ipsius formula definit in Adultis fœdifragis habent vim salutiferam, neque texunt consequentiam bonam, neque vitant manifestam æquivocationem.

Hisce propositionibus, quæ satis ostendunt ab Infantibus non posse demonstrari amissionem fidei & justitiæ, sive justificationis, sanctificationis, & adoptionis illius, quæ fidem in Christum subsequitur, unicam adjungam,

quæ

quæ calumniis adversariorum opponitur, de Irresistibilitate, & Faro Stoico -- quas nobis impingere solent.

Propositio unica.

Quum docemus Perseverantiam Sanctorum in statu justificationis semel obtento; Non negamus qualitatem, sive actum hominis fidelis aut justi ratione subjecti esse mutabilem & amissibilem: Sed affirmamus specialem Dei amorem non permittere, ut, qui credendo in Christum justificatus fuerit, & adoptatus in filium Dei, amittendo fidem & sanctificationem, desinat esse Dei filius & pereat in æternum.

Nam in eum finem datur perseverantiæ donum verè credentibus, adoptatis, & spiritu Adoptionis obsignatis, ut qui pro mutabilitate Arbitrii sui possunt à salute excidere, pro efficacitate divinæ operationis de facto nunquam excidant.

Ratio in promptu est: Quia efficax vocatio, quæ justificationem, sanctificationem, Adoptionem post se trahit, à Prædestinatione manavit. Rom. 8. 30. Atque ea est admirabilis Dei operatio in salute Prædestinatorum efficiendâ, ut finat eorum voluntatem operari suo modo, i. e. contingenter: Et tamen ipse salutem eorum producat infallibiliter. Sic Aquinas: Qu. disp. De Prædest. Art. 3. *Ordo prædestinationis certus est, & tamen voluntas effectum suum producit non nisi contingenter. Prædestinatus potest perire, si consideratur ipsius potentia: non potest, si consideratur ordo,*

ordo, quem habet ad Deum prædestinantem. Quia igitur ponimus justificationem, sanctificationem, adoptionem & glorificationem absolutæ prædestinationis fructus sive effectus & quidem permanentes; non tamen statuimus ideo liberum Arbitrium cogi ad credendum, ad permanendum in fide & obsequio Dei, sed à Deo efficaciter simul & suaviter flecti ac moveri ad quemlibet actum cum salute eorundem ex Dei ordinatione connexum --- *injustè nobis impingunt calumniam de Fato Stoico.* Atque hoc sensu, Patres, Scholastici, Theologi nostri, ipsâque sacra Scriptura pro impossibili habent, ut quilibet ex Electis Dei filiis justificatis & adoptatis à Salute excidat. Optimè hanc rem explicavit Gandavensis, ubi quærit, Utrum Paulus potuerit occidente conversionem. Summa est: *Effectus Prædestinationis impediri potest qua effectus, licet non sub ratione quâ prædestinatus.* Vel, *Ex parte Dei ipsius immutabilis est: Ex parte creaturæ contingens seu mutabilis est licet nunquam mutabitur.* Hæc ille: Animadverto Monachorum nostrum, quamvis multa ad Dei præfinitionem ad vitam æternam odiosè imponat illis qui absolutam prædestinationem tuentur; tamen extra æstum contentionis agnoscit quoad Electos illam ipsam perendi impossibilitatem, quam nos ipsis tribuimus. In Responso suo diserte ait, *Non fuisse possibile ut David periret in peccato suo propter propositum Dei gratuitum de illo servando.* In Appellatione

Quodlibet. 4. Qu. 8.

pellatione agnoscit *Petrum non potuisse finaliter excidere.* Si impossibilitas pereundi ex parte Dei considerata non inducat necessitationem, coactionem, aut fatum quoad salutem Electorum: Tum neque impossibilitas Apostatandi inducit necessitationem, aut aliquid tale quoad perseverantiam eorundem.

Sed non est præsentis instituti integram hanc de Perseverantia controversiam pertractare: Sufficiat ostendisse quam invalidum sit ad sententiam nostram labefactandam, puerile illud à pueris ratione nondum utentibus, delumptum argumentum. Sed manum de tabula. Haud opus multis; Ad te præsertim, cui verbum sat est. Vale perdoctissime; Et orna cathedram Professoriam constanti Orthodoxæ doctrinæ professione.

Tuus ex animo

JOAN. SARISB.

Tractatus prior:

DISPUTATIO
DE
Numero & Efficacia
SACRAMENTORUM
IN GENERE.

Cujus partes,

1. *Thesis Respondentis.*
2. *Exceptiones Opponentis.*
3. *Replicatio Respondentis.*
4. *Argumenta & Responsiones.*
5. *Determinatio Moderatoris.*

LONDINI,
Typis *Guilielmi Du-gard.* 1649.